

Q.D. 156. 33

DISPUTATIO JURIS PUBLICI  
DE  
**VICARIIS IMPERATORUM,**  
Eorumq; differentiâ  
AB IMPERII VICARIIS,  
QUAM

Ve  
3056



*Assistente Divina Gratiâ,*  
**IN ILLUSTRI ACADEMIA  
MARBURGENSI,**  
Sub PRÆSIDIO

**JOHAN. WILHELM.**

*Waldschmidt/*

J. U. L. & Professoris Extraordin. Philo-  
sophiæ Ordinarii,

PUBLICÆ DISQUISITIONI

*Ad diem 8. Martii Ann. MDCCIX.*

**IN JCTORUM AUDITORIO**

*Subiect*

Responsurus AUCTOR.

**HENRICUS TREUSCH von Guttler/**  
Eques Hassus.

*Marburgi Cattorum Typ. JOH. HENRICI STOCKIL.  
De Vicariis Imperatorum coming differentia a Vicariis Imperiorum  
8. Vol. XXX. 12.*



SERENISSIMO

ac

POTENTISSIMO

PRINCIPI & DOMINO  
DOMINO

CAROLO. I.

HASSIÆ LANDGRAVIO, PRINCIPI  
HERSFELDIÆ, COMITI CATTI-  
MELIBOCI, DECIÆ, ZIGENHAI-  
NÆ, NIDDÆ & SCHAUM-  
BURGI. t. t.

PRINCIPI ac DOMINO

SUO

CLEMENTISSIMO



SERENISSIME ac POTENTISSIME

PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME!

**A**UGUSTO SERENITATIS  
TUÆ NOMINI ea tantum,  
quæ doctrinæ præstantia &  
tractationis elegantia commen-  
dari meritò possint, consecrari  
debere, non equidem ignoro,  
humilimus tamen simul confido TUA SE-  
RENISSIME PRINCEPS Clementiā  
toti Europæ notissimâ, mihi gratosè condo-  
natum iri, quod exiles has paginas, ceu spe-  
cimen

cimen studiorum meorum Academicorum  
ad pedes TUOS devoto subjectæ mentis  
& venerationis cultu devotvere ausus sim.  
Fuit is unicus studiorum meorum quibus in  
inclusis Academiis Jenensi & Marburgensi  
ultra triennium incubui scopus ac finis, ut  
quæcunque in iis hauserim SERENITA-  
TIS TUÆ humiliis servitiis devotissime  
dicarem.

Sereno itaque Vultu accipe SERENISSI-  
ME PRINCEPS, primitias hasce Aca-  
demicas, rudes licet adhuc nec satis forma-  
tas, in subjectissimæ devotionis & debiti ob-  
sequii humili pignus TIBI oblatas, usque  
dum adjuvante Divinâ Gratia, sub TUO,  
AUGUSTE PRINCEPS tutamine melio-  
ra Tantisque Oculis digniora offerre potero.  
DEUS T.O M. SERENITATEM TUAM  
diutissimè salvam & incolumen servet, ut in  
subditorum gaudium, oppressorum solati-  
um.

ꝝ

um, hostium terrorem, & publicam statu  
tranquilitatem extremam senectutem attin-  
gere possis; Faxit ille, ut SERENISSIMA  
DOMUS HASSIACA in æternum, im-  
mensis aducta incrementis, stet inconcussa,  
id quod devotè precatur

**SERENISSIME ac POTENTISSIME**  
**PRINCEPS**  
**DOMINE CLEMENTISSIME**  
**SERENITATIS TUÆ**

*humilima devotione subjectissimus  
servus.*

H. TREUSCH von Buttler.



# Q. D. B. V.

**I**mperii Germanici statum paulò penitus introsipienti , liquidò apparet , Membris ejus cum Capite accuratum adeò nexum intercedere & compagem universam ità comparatam esse, ut commodè satis huc flecti possit id quod de veteri Imperio Romano Seneca lib. i. de Clement.. à princ. ait : *Imperator vinculum est per quod Resp. cohæret , ille spiritus vitalis , quem hac tot millia trahunt , nihil ipsa per se futura nisi onus & præda , si mens ista subtrahatur , sine hoc unitas & maximi Imperii contextus in partes multas dissiliet.* Nam si de Achaicis Rebus sp. quas alii Systemata vocant , civilium rerum periti dudum observaverunt , magno semper commodo ipsis cessisse ubi Caput foederis habe-

A

-  
bue-

buerunt Vid. Pufend. Rer. Brandenb. lib. XI. §. 57.  
 Non minus de Imperio Germ. cuius hâc in  
 parte dispar ratio non est, ex ipsâ Imperii for-  
 mâ affirmari potest ( quam intuitu speciali-  
 um Rerump. inter ejusmodi systemata & dis-  
 similares Civitates fluctuare & sic in Civili Pru-  
 dentia nomen non invenire probat Magnif.  
 Dn. Hertius Elem. Prud. Civ. p. r. S. XI. s. 9 )  
 præsertim cum Regionum Domini quâ singu-  
 li magnis vicinorum regnum opibus reprî-  
 mendis haud ubique pares sint. Ut adeò ve-  
 sana Hippoliti à Lapide hâc in parte senten-  
 tia , unâ cum aliis ferrum & flamas spiran-  
 tibus ejus consiliis meritò explodenda & de-  
 testanda sit. Sanè feralis interregni mala, re-  
 gnis electivis admodum familiaria & Germa-  
 niæ sat nota abundè testantur , quam grave  
 & incommodum Imperio sit, si vel ad breve  
 tempus Augustissimo suo Imperatore careat,  
 unde non solùm ad præcavenda illa, antiquis-  
 simâ observantiâ publicis Imperii Legibus con-  
 validatâ Electores Saxo & Palatinus Vicarii Im-  
 perii constituti, quos propterea Goldastus Inter-  
 reges hæreditarios vocat, sed & non rarò ipsos  
 Imperatores impeditos aut absentes , sibi Vi-  
 carios

carios constituisse , Historia nos docet , qui ad differentiam priorum legali dispositione nientium Vicarii Imperatorum non inconcinnè vocantur.

§. II. Solennis inde Juris Publ. Scriptoribus est divisio Vicariorum (1.) in perpetuos & temporarios (2.) in Vicarios Imperii & Imperatoris Vid.Bœcler. Notit. Lib. IV. cap. 3. Hi iterum vel particulares sunt , & certi alicujus regni aut regionis, ita jamdudum Impp. Vicarios suos haberunt in Italia Vid. Diploma apud Dn. Leibniz. Cod.Dipl. Tom. I. p.305. de quibus in præsens non attinet dicere : Vel generales totius Imperii : Ut ut verò inde à temporibus posthabitæ coronationis Romanæ ( quo casu, wann der Kaiser über das Gebirge gezogen / sæpissimè quondam constituti ) eorum exemplum non extet , & sic Ferdinandus Caroli V. Frater eò nomine ultimus fuerit, propterea tamen censendum non est , quasi hæc materia in Jure Publ. sedem amitterit. Et cum alii absentiaæ casus contingere hodiendum possint, ab æquis rerum æstimatoribus ( inquis bonam mentem precamur ). vitio mihi verti non poterit, quod thema hoc de Vicariis Impp. speciminis

Academicī loco mihi elaborandum sumserim,  
ad quod propterea Divino implorato auxilio  
me nunc accingo.

s. III. Quod alias thematis alicujus tra-  
ctionem instituturis solet esse solenne, ut  
verborum explicationem largâ manu præmit-  
tant, eo nos in præsens facile supersedere pos-  
sumus, Imperatoris enim nomen quod atti-  
net in vulgus sat notum est, quomodo Caro-  
lus nomine & omniē Magnus, titulo Romano-  
rum Patritii omisso, primus nomen Imperato-  
ris Augusti Germanos inter assumerit (imita-  
tione Græcorum, uti videtur Imp.) Qui  
tamen annos Imperii & Regni in subscriptio-  
ne diplomatum, & temporum computatio-  
ne discrevit, eō quod extraordinariā viā ad  
Imp. pervenerat. Ejus proximi successores  
Ludovicus & Lotharius, non demum à tem-  
pore coronationis Pontificiæ, sed statim à  
morte Patris vel ubi successores designati, Au-  
gusti sive Imp. nomen assumerunt, reliqui  
verò successores ad unum fere omnes usque  
ad Maxim. I. tempora ante coronationem Ro-  
manam Reges dicti fuere (Vid. tamen Dn. Leib-  
niꝝ Prod. Cod. Diplom. num. 5.) licet illa diffe-  
ren-

rentiā in nomine tantūm sita fuerit , idem  
 enim Rex potuit , quod Imperator . Vid . Dn.  
 Hert . *Dissert. de Fide Dipl. Germ.* Nomen Vi-  
 carii quod attinet , ejus homonymiam tradit  
 Carolus du Frène in *Glossar. sub hoc verb.* No-  
 bis hic denotat eum , qui absentis vel impedi-  
 ti Imperatoris vice Imperium , ex formulâ po-  
 testatis concessæ , ad tempus administrat . Ha-  
 jus varii occurrunt tituli & appellations , vo-  
 catur Procurator Germaniæ in diplomate Fri-  
 der . II . de Anno 1242 . apud Anth . Weckiuſz  
 pag . 2 . Beschreib . und Vorstell . der Stadt Dresden  
 pag . 153 . & in diplomate Carol . IV . inter pri-  
 vil . Francf . pag . 158 . Vicarius generalis , Chartâ  
 Ruperti Imp . apud Freher . ad Petr . de Andlo ♂  
 Origin . Palat . p . 1 . pag . 133 . ( quanquam du Frène  
 alleg . l . rem invertat , quibus certæ regiones  
 commissæ , Vicarios generales , & eos de quibus  
 agimus , Imperii Vicarios dicens ) Locum te-  
 nens generalis , in numismatibus apud Müller  
 infra alleg . libro des Reichstags Staat . Lib . V .  
 cap . ult . Des Känsers und Reichs gemeiner Vi-  
 carius , infra alleg . diplom . Car . IV . Stadthalter  
 General Müller d . l . vid . tamen Iterus de Feud .  
 Imp . cap . 9 .

§. IV. In universum , an unquam summo imperanti Vicarium sibi substituere liceat, dubium videri posset, expendenti Grotii illud *de J. B. & P. lib. 2. cap. 6. §. 13.* Regem teneri populo ad exercendum per se summum imperium ; Id quod non minus ex pactis quibus civitas regulari modo constituitur & quidem illo, quod cum Summo Imperante initur fluere videtur , quo inter alia eo adstringitur , ut ipse , cuius animi corporisque dotes , Majestati sustinendæ pares electæ , non verò per substitutam Vicarii personam mutuato lumine radiantem , suis fungatur partibus . Ut adeò Poloni jure suo usi sint , qui postquam Henricus , quem per aliquot menses Regem habuerant ad capeſſenda Galliæ ſceptra mortuo Carolo IX. abiiffet , per Vicarium quem iplis obtrudere conabatur , regi nolebant , ſed ipsum Regem deſiderabant *Thuan. Histor. lib. 21. ab init. Hüber de Jure Civitat. lib. 1. cap. 6. Sect. 9.* Accuratiuſ verò rem trutinanti facile liquet , hanc Juris Publici Universalis regulam ad caſum absentiaꝝ aut iuſti impedimenti non poſſe extendi , quin ſummo imperanti tum , ſi aliud non obſtet , omnino liberum eſſe , vices suas alteri

alteri committere , suadet publica utilitas , & confirmingant plurimum Europæ regnorum exempla ; Ità de Galliâ Grammondus lib. 18. Histor. ad Anno 1629. refert morem ibidem invalusse, Rege extra regnum proficidente, ut substituatur Vicarius , qui sub nomine Regentis regnum administret.

s. V. Quemadmodum verò in Imperio Rom. Germanico idem sæpius usuvenisse diximus , ità exempla hujusmodi Vicariorum quæ in Historia patriâ reperire licuit , primò loco recensenda duco , & quidem ità ut ad ipsa regni Francici primordia ascendam , eò quod omnes fere , qui de recentiori statu instituerunt agere , consilio non improbando antiquiora illa repetiisse videam . Reges Francorum primæ stirpis quod attinet , dubium non est , sub iis Vicarium hujusmodi regimen Majoribus Domus competiisse , quamvis enim horum non usque adeò magna potestas ab initio fuerit , cuius indicium est , quod referente Greg. Turonensi Lib. VI: cap. 9. quidam Major Domus Episcopatum Cœnomannorum dignationi suæ præferre non dubitaverit ; Deinceps tamen à temporibus Clodovæi , illa mi-  
rum

rum quantum crevit, ità ut regnum ipsorum  
 nutu fuerit ordinatum, Regibus ipsis ætate in-  
 juriis expositâ, educationis vitio, & animi tor-  
 pore huic incremento ansam suppeditantibus  
 (quanquam scriptores ævi Carolingici, quô  
 secundæ stirpis Regibus, de regno occupato  
 colorem juris sive tituli inde arcesserent, cau-  
 fas illas nimium exaggerâsse observaverit Pon-  
 tanus *Lib. 6. Orig. Franc. cap. 12.*) qui ergo præ-  
 sente licet Rege ejus vice summam domi mili-  
 tiæque potestatem exercuerunt, quid non ab-  
 sente eō habuisse censendi? Indeque Subre-  
 guli vocati fuere, ità enim Gregorius III. Pon-  
 tifex *Ep. 5. & 6.* Carolum Martellum compel-  
 lavit: *Domino excellentissimo Carolo Subregulo,*  
*Gregorius &c.* A quo eorum officio, ut & quod  
 Gubernatores-Rectores-Præfecti- & Comites  
 Palatii dicti legantur, origo Vicariorum Im-  
 perii à Scriptoribus Iuriis P. solet quoque dedu-  
 ci; Ubi tamen H. Conringius *Censurâ Diplom.*  
*Lindav. cap. XI.* eruditè ostendit hos Palatii Co-  
 mites confundendos non esse, cum Comiti-  
 bus Palatinis, Seculo XI. in Germaniæ regioni-  
 bus passim ab Impp. collocatis, à prioribus ve-  
 rò, ut tempore, ità nomine & officio penitus  
 distin-

distinctis, de quibus ita Aventinus: *Annal.*  
*Boj. Lib. 4. pag. m. 296.* vice Cæsar is præsidendo  
 senatui principali defungebantur, fidem Imperato-  
 ris implorantibus aderant, jusque reddebat, fiscum  
 Augusti, prædia salica redditus regios procurabant,  
 Cæsareum censum exigebant, nil citra eorum autho-  
 ritatem Duci decernere aut statuere licebat. Utros-  
 que verò promiscue Palatii & Palatinos Co-  
 mites dictos vult Mabillon *de re Diplom. lib. 2.*  
*cap. XI. §. 13.*

§. VI. Magis verò conspicua sunt exempla  
 Viciorum ab Imperatoribus seculis recentio-  
 ribus institutorū quorum aliqua Scriptores Ju-  
 ris P. passim annotarunt, nobis secundūm se-  
 riem temporū, ea quæ in Historiâ & nonnullis  
 diplomatis animadvertisimus, hic recensere lice-  
 bit. Seculo X. Otto M. in Italiā profectus Her-  
 mannum, Ducem Saxoniæ post te Vicarium re-  
 liquit imprimis ad faciendam justitiam in illis par-  
 tibus quæ barbaris confines, ut loquitur *M. Ada-*  
*mus Hist. Eccl. lib. 2. cap. 4. apud Lindenbrog. Script.*  
*Rer. Germ.* Seculo XII. Fridericus I. Imper. co-  
 ronæ capiendæ causa in Italiā tendens Ula-  
 dislaum Regem Bohemiæ Vicarium in Germa-  
 niâ designavit, eique rediens testimonium bene

B

admi-

administratæ provinciæ prolixè perhibuit. *Dubravins Hist. Bohem. lib. 12. pag. m. 318.* Eundem Fridericum cum in terram sanctam concederet Filios suos Henricum & Philippum sibi Vicarios substituisse probat du Frêne in *Gloss. verb. Vicarius.* Seculo XIII. Otto IV. in Italiam abiens fratri suo Henrico Palatino Vicariatum concredidit docente du Frêne d.l. Eodem seculo Fridericum II. Imp. Henricum Landgravium Thuringiæ & Palatinum Saxoniæ sibi Vicarium constituisse , probat diploma apud Anth. Weck. *Descript. urb. Dresd. p.2. pag. 153.* Ejusdem Friderici Vicarium fuisse Albertum Archi-Ep. Magdeb. tradit *Spangenb. Chron. Mansfeld.* pag 31. Adolphum Nassovicum Johannem de Gabilone Vicarium habuisse , ex Sterone notat du Frêne d.l. Seculo XIV. Henricus VII. coronæ suscipiendæ causâ abfuturus Johannem filium Bohemiæ Regem Vicarium reliquit *Dubrav. Histor. Bohem. lib. 20. pag. 524.* ut & Berchtoldum Hennebergicum , primum ejus Familiaë Principem , uti ex diplomate probat *Dn. Schurz fleisch. Disp. Histor. Civ. 31. th. 7.* Eodem seculo Ludovicus Bavarus Imp. Eduardum III. Angliæ Regem Vicarium per Germ.  
de-

designavit teste Alberto Argentini: ( quem Ur-  
stis. Tom. 2. exhibet ) Chron. ad Ann. 1336. ibi:  
Princeps verò ipsum Regem Eduardum , datis su-  
per eo literis imperialibus generalem vicarium per  
Germaniam & Teutoniam designavit. Vid. infra  
§ ult. Malè tamen exinde Vietor de Exempt.  
concl. 2. infert , ac si per hunc Vicariatum, liber-  
tati regni Angliæ aliquid deceperit cum & ex-  
traneus id officium gerere possit. Sueder. f. P.  
part. gen. cap. 4. §. 25. Eundem Imp. cum ad  
Italicum iter se accingeret Rudolpho ex fratre  
nepoti, Comiti Palatino resGerm. commississe  
refert Aventinus : Annal. Boj. lib.7. pag.m. 472.  
Hujus successorem Carolum IV. fratri suo  
Wenceslao Duci Lucemburgensi & Limburg.  
vicariatum detulisse probat ejus charta , quæ  
exhibetur inter Privil. Francf. pag. 158. prout  
jam antea sacerum Rudolphum Comitem Pa-  
latinum sibi Vicarium substituerat , uti ex di-  
plomate de Anno 1352. probat Thulemar. de  
Octov. cap. 22. §. 18. Seculo XV. Rupertus exer-  
citum in Italiam ducens Ludovicum Barba-  
tum Comitem Palatinum Vicarium reliquit,  
teste ejus chartâ apud Freher. ad Petr. de Andlo.  
Eundem Ludovicum Sigismundi Imp. Vica-  
rium

rium fuisse probat Lehman. *Chron. Spir. lib. 7.*  
*cap. 89.* quanquam idem de Cunrado Archiep.  
 Mogunt. referat Serrarius *rer. Mogunt.* lib. 5.  
 Tempore Maximiliani I. Imp. Anno 1507. Friederichum Saxonem Vicarium extitisse, eò quod  
 ex inspectione nummi cuiusdam observatum  
 sit, refert Thulemar. d. l. Luculenta verò hu-  
 jus Vicariatus testimonia & diplomata, unà  
 cùm pluribus nummis hujus inscriptionis, hoc  
 ipso anno publicavit Dn. Müller, notabili o-  
 pere des Reichstag Staats/zc. Lib. V. ut de eo  
 dubitari amplius non possit. Denique, quo-  
 modo Carolus V. Anno 1521. in Comitiis Wor-  
 mat : Regimen ordinaverit & Fratrem suum  
 Ferdinandum Vicarium constituerit, satis ab-  
 undè notum est. *vid. Recess. Imp. de anno 1525.*  
*usque ad 1529.*

S. VII. Quemadmodum verò enumera-  
 tia modò exempla probare videntur Impera-  
 torem sibi liberè Vicarium constituere posse,  
 non expectatis Ordinum suffragiis & cum præ-  
 teritione Sereniss. Vicariorum Imperii, ità Hos  
 quod attinet, non desunt argumenta magis  
 utique probabilia, quæ absens Imp. vices non  
 nisi lis (& imprimis Palatino) deberi nec  
 alium

alium sine ipsorum præjudicio ab Impp substitui posse evincere videntur. Notum etiam quam magnis animorum motibus hæc controversia inter Scr. Juris P. ventiletur, ut collatis utrinque rationum momentis, vel juret quis sibi non liquere. Nostrum quidem non est tantas componere lites, instituti tamen ratio postulare videtur, ut, quid veritati ac juri maximè consonum credamus, profiteamur ; id quod eò securius fieri poterit, quòd nulla publica Controversia, quæ inter Ordines Imperii ventiletur, sed tantum dissensus Dd. subsit. Et quidem ad perpetuos Imperii Vicarios non solum si mortuo Imperatore illud vacet sed & absente eo, nulloque alio Vicario legitimè constituto, interimisticum regimen pertinere, firmiter persuasus sum. Vid. Illustr. Dn. Coccejus *Jur. P. cap. 16. §. 3.* Quamvis enim Aurea Bulla tantum de casu vacantis Imperii loquatur, indeque dissentientes inferant, Imperium vivo Imperatore vacare dici non posse, nisi quis verborum proprietatem in dicto textu cavillari velit. His tamen commodè reponi potest, vacare nihilominus administrationem Imperii, dein iura Vicariorum Imperii ipsâ A. B. antiquiora esse, ideoque hanc ex observantiâ Imperii

perii antiquissimā declarandam esse, vigore cuius ad Vicarios Imperii vices Regis absentis ipso jure pertinent. Id quod antiqua Ordinatio Comit. Palatin. quam Goldastus *Tom. 3. Constit.* *Imp. pag. 403.* exhibit (si modò genuina) his verbis luculenter evincit : *Regiam Majestatem sive in exercitu, sive aliter extra regnum agere si contingat Comes Palatinus ex officio debet esse Locumtenens & cum aliquibus penes, ipsum deputandis, quorum tamen ipse caput & superior est, omnia facere & exercere, quæ Rex ipse posset & deberet.* Et quidem ratione Palatini res minus dubia videtur, ob privilegium ad quod ipsa A. B. provocat ; Illud verò in casum absentiæ quoque conceptum fuisse, docent confirmationes & diplomata Caroli IV. Maximil. I. & Caroli V. apud Goldastum *part. I. der Reichssitzungen/ fol. 241. & seqq.* in quibus omnibus hæc verba leguntur : *So ein Römischer Kaiser oder König über Berg zeucht / oder sonst außer dem Reich ist / daß alsdann einem Pfalzgraffen der Churfürst ist / die Verwaltung desselben zustehe.* Vid. Thulemar. *de Octovir. cap. 22.* Unde dubio procul, factum quod inter Vicarios Imperatorum tot Comites Palatini deprehendantur. §. VIII.

§. VIII. Quoad Saxonem verò ceu alterum Imperii Vicarium non aequè expeditum videtur, an & hoc casu cum Palatino concurrat? Negarunt illud Limnæus lib. 3. *Jur. P.* 12. num. 40. *Tom. I.* § 2. Addit § ad *Capitul. Car. V.* art. 3. *VITRIARIUS Lib. I. Inst. Jur. P. tit. II. §. 7.* pluresque alii hoc potissimum argumento, quod A. B. de casu vacantis Imperii tantum disponat & Palatino præfatum jus ex speciali privilegio demum competit. Quicquid ejus sit, facile tamen liquet *Illustr. Dn. Cocceji Jur. P. cap. II. § 12.* Schilteri *Institut. Jur. P. Tom. I. lib. I. tit. 18. §. 6.* Schüzii *Vol. I. Disp. V. §. II.* aliorumque affirmantium sententiam idoneo fundamento non destitui, si consideretur Saxonis quoque Vicariatum Aurea B. antiquiorem vid. *Ius Feud. Alem. cap. 42.* nec datum per hanc sed tantum confirmatum esse, quin & ipsa Aurea B. Palatino Saxonem in provisione æquari; Idem ex reversalibus ut vocant, quas Imperatores Vicarios sibi constituentes, Saxoni aequè ac Palatino dederunt, liquidò apparet. Vitriarius equidem, dict. loco, illas ubi Saxonis mentionem faciunt, de casu vacantis Imperii tantum intelligendas putat ne insecurità in-

tā interim morte Imperatoris per ejus Vicarium Saxoni ceu Vicario Imperii præjudicetur, sed huic explicationi apertè refragantur reversales Maximiliani I. qui, ut supra vidimus sibi Vicarium substituerat Fridericum Saxoniæ Electorem, & tamen eidem tali diplomate cavit, quod exhibit *D. Müller Reichstags Staat Lib. V. cap. 1. N. O.* quæ in contrarium urget *Dn. Sveder p. ult. cap. 33.*

§. IX. Quod verò alteram quæstionem attinet, an non obstante eo, quod de jure Vicariorū Imperii dictum, nihilominus aliis in causa absentiæ ab Imperatore constitui possit Vicarius? illam affirmare non veremur, *vid. Dn. Coccejus J. P. cap. 12. d. §. In modò tamen constitueri antiquiora tempora à recentioribus separanda esse volunt. Quemadmodum enim illi legali dispositione nituntur & quâ Vicarii Imperii etiam vacantem ejus administrationē suscipiunt, ità hoc, non nisi cessante Imperatoris dispositio-*ne, fieri posse certum, ubi enim Imperator convenienter modo Vicarium sibi substituit, ibi nec Imperium, nec ejus administratio vacat. Accedunt exempla supra enumerata, Vicariorum tam ante quam post A. B. ab Impp. con-

sti-

stitutorum, & quidem illis, qui jura Vicario-  
rum Imperii confirmârunt, prout etiam in  
his diplomatis nulla hâc in parte restrictio, aut  
renunciatio appetet. In hâctamen Vicarii con-  
stitutione ab Imperatore facta, jura Vicariorum  
Imperii salva manere debent ut reversales, de  
quibus supra, testantur. Modum verò constitu-  
endi quod attinet, liberior fortè olim facultas  
Impp. & hic fuit, itâ in alleg. supra diplomate  
Caroli IV. Wenceslaum sibi substituentis, hæc  
inter alia verba leguntur: *Wir haben Ihn zu  
Unserm und des Reichs gemeinen Vicarien ge-  
macht in Teutschen Landen und in allen andern  
Landen die disseits des Gebürgs gelegen seyn/  
und haben Ihm ganze Macht gegeben/ scilicet nulla  
consensus Ordinum mentione facta, idem in  
aliis quoque chartis.* Hodiernis verò tempo-  
ribus, & ex quô Ordines Imperii ad præcipua  
Majestatis jura admissi, Imperatorem non nisi  
illorum consensu accedente Vicarium sibi con-  
stituere posse volunt Kulpis: *de unitate Reip.*  
*Germ. cap. 2. §. 19. Bœcler. Notit. lib. 4. cap. 3. &*  
*alii. Vid. etiam Goldasti Commentar. de Re-*  
*gno Bohem. L. 3. C. 9. p. 326.*

§. X. Cæterum si vivo Imperatori adjuva  
sub nomine Regis Romanorum adjungatur,

is absente vel impedito Imperatore vices ejus gerit, & in hoc convenit cum Vicario Imperatoris, quod quicquid agit, ex formulâ ab Imperatore præscripta agat, (Vid. tamen Capitul. Ferdin. I. art. 2. verb. auch für uns selbsten junct. Strauch. lib. I. Inst. f. P. tit. II. §. 7.) unde Rex à temporibus Maximil. II. promittere consuevit: Er wolle sich keiner Regierung oder Administration im Reich weiter oder anders unterziehen / dann so viel Ihm dessen Kaiserlichen Majestät vergönne. Capitul. Rudolphi artr. 32. Ferdin. III. art. 49. Vid. Dn. Hert. Paroem. Juris lib. 2. paroem. I. ubi probatum dedit, Imperatorem impeditum non necessariò negotia gerenda Regi committere, ex Recess. Imp. Wormat. de Anno 1545. in princ. Aut peregrè agentem eidem Commissarios interdum adjunxit se ex Recess. Imp. Spir. anni 1542. §. 3. Recess. Imp. Norimb. ej. anni 5. 43.

§. XI. Supereft, ut quænam Vicariis Imperatorum, propriè sic dictis, potestas competit, paucis adhuc videamus, ubi primô locô ex Jurispr. Universali notamus, quod si Princeps aut Summam potestatem habens Vicarium constitutat neque disertè aut nominatim dixerit quænam ejus potestas furura sit, vel exprimat nonnulla

nulla, sed species generali clausula obsignet, is,  
 præter expressè sibi mandata, de omnibus dis-  
 ponere potest, quæ in administratione Reip.  
 secundum ordinem lege constitutum assiduo  
 occurunt; distribuere functiones Reip. ordi-  
 narias & inferiores; In illis autem quæ excede-  
 dunt modum quotidianæ administrationis, ta-  
 lis Vicarius nihil novi sine speciali mandato  
 constituere, nec exercere potest ullum ex hu-  
 jusmodi Majestatis juribus, quæ non in conti-  
 nuatione exercitii, sed in actu singulari consi-  
 stunt. Nisi specialiter ipsi datum aut cohæreat  
 ordinariō alicujus juris exercitio; Eò quod  
 Vicarius talis nil nisi Magistratus sit, Magistra-  
 tus autem Minister summæ potestatis & legis,  
 actus verò extraordinarios summi Imperii mo-  
 tu proprio instituere sit *autonoma*, quemadmo-  
 dum hæc adducit & pluribus probat Dn. Hü-  
 ber. Jur. P. Univ. Lib. I. Sect. III. cap. 8.

§. XII. Jus verò Publicum Germaniæ  
 quod attinet, pariter liquet si de potestate ac  
 jure Vicarii Imperatoris disceptetur tunc ad  
 concessionem Imperatoris tanquam lydium  
 lapidem recurrentum, indequæ colligendum  
 esse, quidnam juris eidem vel disertis verbis  
 aut

aut saltē per consequentiam impertiverit. De  
 Eduardo Angliæ Rege ceu Vicario Ludov. Bav.  
 notat Pontanus Lib. 7. Histor. Gelr. *Ludovicus*  
 eum Anno 1338. *Vicarium Imperii generalem crea-*  
*vit & speciatim, auri nomine Imperatoris signan-*  
*di (hoc enim jus velut præcipuum Imperatores*  
 sibi servare solebant, ideoque speciali conce-  
 sione opus erat) potestatem ei dedit. De eodem  
 Eduardo Angliæ Rege Joannes Mantelus *Histo-*  
*riæ Lossensis Compend.* in addit: pag. 232. & seq. ex  
 Chronico Tradonensi notat: Circa idem tempus  
 Rex Edwardus tanquam *Vicarius Imperii* sedit pro  
 tribunali apud villam Hercke tum *Dux Brabantie*  
 inter cæteros *Principes gladium evaginatum desu-*  
*per verticem Regis tenuit, tanquam Marchio Im-*  
*perii (ubi in transitu notamus, ea quæ hic de*  
 Brabantiae Duce gladium tenente dicuntur, il-  
 lustrare Limnæum in *Com. ad A.B. cap. 22. obs. 4.*)

Porro his Impp. Vicariis plenitudinem po-  
 testatis Cæsareæ interdum concessam esse constat,  
 sic Berchtoldus Hennebergicus in diplom. a-  
 pud Dn. Schurzfleisch. *all. loco* provisor cum  
 plenardiæ potestate vocatur Wenceslao à fratre  
 suo Carolo IV. Vicariatus *in alleg. supra diplom.*  
 his verbis concessus. *Wir haben Ihm ganze*  
Macht

Macht gegeben / alles zu thun und zu schalten /  
 was wir selbst gethun mögen / als in unsern Briefen  
 solche Meynung vollkommenlich und gänzlich  
 begriffen ist. In chartâ Ruperti post longam  
 seriem Jurium Vicario concessorum tan-  
 dem subjicitur : *Et generaliter concedimus ei fa-  
 cultatem omnia & singula liberè faciendi & exer-  
 cendi, quæ ad verum S. Imperii Vicarium ge-  
 neralem pertinent, & quæ ad nos & sacrum  
 Imperium, de jure, consuetudine seu plenitudo-  
 nere-gia potestatis pertinent.* Vid. etiam diploma Ma-  
 xim. I. apud D. Müller d.l. Sanè hos Imp. Vica-  
 rios comitia indixisse, & Recessus Imp. subscri-  
 psisse constat ; Quemadmodum de Johanne Re-  
 p. Bohemiæ Vicario Henrici VII. docet Du-  
 brav. Hist. Boh. lib. 20. de Friderico Electore Sa-  
 xon. probabile fecit D. Müller d.l. alia exempla  
 collegit Maurit. de Recess. Imp. th. 15. qui tamen  
 simul ex Schüzio notat, Vicarios Imperatorum,  
 non æquè magnam habere potestatem quam  
 Vicariis Imperii competit, cum hi omnem po-  
 testatem sibi vindicent, quæ ipsis in A.B. expre-  
 sè adempta non est, à quo dissentit Limnaus. ad  
 Capit. Ferdin. I. d.l. & passim. Nos hic  
 subsistimus.

CO-

ZIMI 9

# COROLLARIA.

I.

**J**uris circa sacra non exiguae partes habuerunt Regionum Domini in Germ. jam autem ante reformatam sacra. Singulatum de Serenissima quādam Domo Principali affirmare licet, illam jam tum non minores in sacris libertates habuisse, quam quibus hodie gloriantur Galli.

II.

*Imperii Germ. forma ad Systemata fœderatorum populorum referenda non est.*

III.

*Prætensum à Pontificibus Romanis in Imperio Vicariatum & alia jura quasi sibi in Imperatorem quondam arrogare aūsi sunt, nullo iure nisi, probatu est facillimum.*

IV.

*Divisio Statuum in quaterniones v. gr. Vier Herzogen/ Vier Grafen ic. inter paleas Juris Publici referenda non est, sed vere antiquitus obtinuit.*

V.

*Ad immunitatem à collectis prescriptione obtainendam tempus immemoriale requiritur.*

VI.

*Jus dotorium non est separata & à reliquis distincta species juris in re.*

VII.

*Conditio furtiva contra heredes datur in solidum.*

VIII.


*In actione empti iusjurandum in litem deferri potest.*

*Diss. Struv. Ex. 17. th. 65.*

F I N I S.

VD18

m.c



**Farbkarte #13**

DISPUTATIO JURIS PUBLICI  
Q.D. 156. 33 DE  
**VICARIIS IMPERATORUM,**  
Eorumq; differentiâ  
**AB IMPERII VICARIIS,**  
QUAM  
*Assistente Divina Gratiâ,*  
**IN ILLUSTRI ACADEMIA**  
**MARBURGENSI,**  
Sub PRÆSIDIO  
**JOHAN. WILHELMUS**  
**Waldschmidt/**  
J. U. L. & Professoris Extraordin. Philo-  
sophiæ Ordinarii,  
PUBLICÆ DISQUISITIONI  
*Ad diem 8. Martii Ann. MDCCIX.*  
**IN JICTORUM AUDITORIO**  
*Subsidiari*  
Responsurus AUCTOR  
**HENRICUS TREUSCH von Guttler/**  
Eques Hassus.

Marburgi Cattorum Typ. JOH. HENRICI STOCKII.  
De Vicariis Imperialibus coming differentia a Vicariis Imperiorum  
Vol. XXXI. 12.